

EPISTOLA RVPER. AD CVNONEM IN OPVS SVVM.

quando clamabam sicut in resposorio cantare didiceram, clamorem illum magnū & nouissimum B. Dionysij Areopagita. Nunc iam domine per Coronam martyrij cum fratribus meis seruis tuis suscipe me. Catabatur nescio quid de contrā, & circa me, in medio quasi magnę Ecclesię choris fortiter & altissimē perstreptentibus, & opprobria exprobrantium atq; contēditium, quæ nunc ceciderunt super me, illa cantionis imago per contrarium vaticinabatur. Stabat interim taciturnus & mutis, quia coniunctus eram lateri, & manu in manum tenebar iā dicti Abbatis mei, cum ecce ille quasi alienę manus, manum meam indidit miro modo, quem vix eloqui possim, videlicet tāquam in chirothecam singulis digitis meis in singulos manus illius digitos immerfis. Quid illa mihi manus, pater mi, nisi patrocinium significauit tuę charitatis? Ille enim rebus excessit humanis, & me, contra quem plurimi iam fuerant incitati, in manu tua, sicut tute scis, dereliquit. Cantabatur itaque (vt iam dixit) & multiplicante cantile nam turba, vocalis fragor inualecebat. Erupi tandem in vocem magnam, & altam, & mihi ipsi pro sua pulchritudine & cōpositione valde auditu mirabilē, omniū oculis in me conuersis decantans iam illud dictum resposorium B. Dionysij me manu deducēte, quam iam dixi, manum tuam figurante, vt nunc res ipsa probauit. Tua nanque post Deum ope maximē tutus, & fretus testimonio, ecce respondeo exprobrantibus mihi verbum. Et dum facis otium scribendi, auctoritatemq; concedis superno muneri, quod mihi aspirasse spōte testaris, ad auditum publicum procedit hic opus, quod ante te cognitum inceperam ad gloriam, & honorem sanctę & indiuiduę Trinitatis. Proposueram enim tripartitum hoc facere, ab initio primę creationis vsque ad finem seculi, ita videlicet, vt primum ab ortu primę lucis vsque ad lapsum primi hominis. Secundum ab eodem lapsu primi hominis vsque ad incarnationem vel passionem secundi hominis Iesu Christi filij dei. Tertium extunc vsque seculi consumptionem, id est, generalem mortuorum resurrectionem eiusdē operis diuiduum sit. Et primum quidem Patris, secundum Filij, tertium, propriū est Spiritus sancti, Fecimus ergo de proprio patris opere, à prima creatione, id est, ab initio quo creauit Deus cęlum & terram, vsque ad id quod Adā de paradiso eiectus est, libros tres. Deinde de proprio filij opere, quo à iustitia vel morte Abel paulatim per figuras & visiones propheticas nobis appropinquans verbum domini, peruenit vsque ad susceptionem carnis, & mortem crucis, libros triginta. Deinde de proprio spiritus sancti opere, scilicet ab incarnatione eiusdem Christi filij dei viui, quem de spiritu sancto virgo concepit incorrupta, vsq; ad finem seculi, libros nouem, simul fiunt libri quadraginta duo.

Verba ergo ipsa quę sunt huiusmodi: Nunc iam domine per coronam martyrij cum fratribus meis seruis tuis suscipe me, iuuant fateor, dulcemq; mihi faciunt hanc ollā spei mee, quia videlicet per coronam martyrij, idem est, ac si dicam per victoriam testimonij, licet magis testimonium perlatum vsq; ad effusionem sanguinis, & Græco nomine martyrij propter insigne significationis ad augendum appellari placuerit. Porro testimonium veritati quicumque perhibent, certissimē ab ipsa sunt veritate coronandi, quæ cū ipsis fratribus meis, seruis tuis, me suscipere & annumerare dignetur, testimonium sibi perhibentem voce & literis. Inter eos tibi & omnib; sit pars in isto, & omni bono & fideli sermone domini, per quos Christo suffragante animę mee, & quodammodo dicente: Bonum opus operata est in me, præuenit enim meū corpus vngere in sepulturam, videlicet non iam meam sed suam, licuit & vacauit mihi vtcunque & vbicunque cęptum opus triennio perficere, quod sancta Trinitas cui dicaui illud, dignetur in odorem suauitatis acceptum habere.

EPISTOLAE FINIS.

\* 3

RERVV